

Dei iudicio inferorum supplicij ad iudicatum vociferabatur, animam sine sacra communione & pœnitentia eiecit. Qua vindicta Godefridus quoque Lotharingiæ Dux fax belli adversus Saxones, Antwerpia intorto per viscera ferro, dum alvum solveret, confossus: qua vindicis Dei pœna multi alij, quos Bruno percenset, impij Regis Consiliarij interiêre. Rex ad superiores Rheni partes digressus Conradum Moguntini Archiepiscopi Camerarium Traiectensi Ecclesiæ præfêcit, & per id tempus Popponem etiam Paderbornensi Ecclesiæ imposuit Episcopum, uti Lambertus perhibet, Regis, & Moguntini, aliorumque consilio, quo utrumque Episcopum Conradum & Popponem in suas partes traherent; quod tamen Regem in Poppone Episcopo nostro fefellit. Quo exinde tempore, aut à quibus? utrumne à Sigefrido Metropolitano suo Moguntia, quò paulò post Rex accessit, Poppo sit consecratus Episcopus? in annalium memoria non reperio.

Sanè in conturbatissima Imperij tempora Episcopatus ejus incidit. Enimvero postquam legati ab Rege missi Romam venêre; ac synodi literas Pontifici tradidêre, verbis etiam contumeliosis denunciante, ut se Pontificatu abdicaret; Pontifex atrocitate nuncij permotus, postera die synodum cleri congregat, lectisque palam literis, Regem primò, deinde Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum, Wilhel mum Traiectensem, Rupertum Bambergensem Episcopos, ceterosque anathemate percutit (jam ante Ottoni Ratisbonensi, & quibusdam alijs Pontifex sacris interdixerat) Quæ postquam in Germaniam delata, Rudolphus Dux Suevorum, Welfus Bojariorum, Bertholdus Carentinorum, Adalbero Wirceburgensis, Hermannus Metensis Episcopi, ac plerique Principes, qui jam antè convenerant, animosiores conjurant in Regis caput, ut quos deditos habebat Saxones, ultro liberos dimitteret; Saxones, qui mœrore exulum suorum Principum contabuerant, læti arma repetunt, Castellaque Regis oppugnant, frustra Ottone Gottingensi, quem in partes Regis transisse diximus, obnitente; quem eo etiam ad egêre Saxones, ut abducto ex Hartesburgo, alteroque monte præsidio militari, ad socialem cum Saxonibus vitam rediret.

Rex compertâ Saxoniam & ceterorum Principum defectione, in extremas angustias conjectus, quo se verteret? primò Wormatiæ festo Pentecostes conventum Principum indicit, consulturus, quid factu opus. Eò cum rari accederent, Moguntiam festo Apostolorum Petri & Pauli supplex convenire rogat. Sed ab eo etiam congressu se subduxêre Principes, palamque Uto Trevirensis Archiepiscopus, Roma regressus, detrectavit cum Moguntino, Coloniensi, ceterisque Episcopis anathemate percussis communicare. Igitur cum ab omnibus se deserri conspiceret Rex, nec pro ferocia ingenij armis quoque perfrin-

Excom-
munican-
tur à Pon-
tifice plu-
res Ger-
maniam
Episcopi.
Iterum à
Saxoniam
Principi-
bus con-
juratur
in Regem.